



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 45. Puccii Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

**Sæc. XVI.** decima quarta Decembris anno Domini  
**A.C. 1544.** millesimo quingentesimo trigesimo no-  
 no Cardinales creaverat, Petrum quo-  
 que Cardinalitia dignitate auxit, atque  
 anno Incarnationis dominicæ millesimo  
 quingentesimo quadragesimo secundo  
 Bisuntinam Ecclesiam eidem concessit;  
 qua tamen dignitate haud diu potitus  
 die quarta Maji anno salutis millesimo  
 quingentesimo quadragesimo quarto su-  
 premium diem obiit, & Arbosii in supe-  
 riore Burgundia, quam Comitatum vo-  
 cant, sepultus est in templo S. Justi pe-  
 nes fratrem suum Claudium aurei Vel-  
 leris Equitem.

### §. XLV.

#### *Puccii Cardinalis extrema.*

**Ciacon. t. 3.** Alter erat Antonius Puccius, patria  
**p. 522.** Florentinus, Alexandri apud ean-  
*Ughel. Ital.* dem Rempublicam Senatoris filius, ne-  
*sacra.* **S. Marth.** in posque Laurentii & Roberti Pucciorum  
*Gall. Christ.* itidem Cardinalium, quorum prior anno  
*Aubery vit.* Christianæ salutis millesimo quingente-  
*Card.* simo trigesimo primo mortalitatem e-  
 xuit, alter vero non nisi duabus annis,  
 & paulo amplius Antonio vita superstes  
 fuit. Hic idem a suo Patre liberaliter  
 educatus primo studiorum caussa Pisas  
 mittebatur, inde vero Florentiam ad  
 patrium solum revocatus, ibidem Me-  
 tropolitanæ Ecclesiæ Canonicus fuit

re-

renuntiatus, magnumque sibi nomen <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 conciliavit non modo sermonibus suis,  
 sed sua etiam perspicuitate, qua plura  
 sacræ Paginæ loca vel maxime abdita  
 interpretatus est: Posthæc a Laurentio  
 Cardinale Patruo suo Romam accersi-  
 tus ex ipsius cessione Pistoriensem Epi-  
 scopatum obtinuit, ejusque opera Ca-  
 meræ Apostolicæ Clericus fuit electus,  
 qua dignitate conspicuus Lateranensi  
 interfuit Concilio, ibidemque in Sessio-  
 ne nona Latinam orationem ad Synodi  
 Patres non sine magno applausu habuit.  
 Paulio post tanquam Sedis Apostolicæ  
 Legatus primo ad Helvetios, demum ad  
 Gallos decernebatur: inde vero Ro-  
 manam reversus captus est a Cæsareis,  
 qui anno post Christum natum millesi-  
 mo quingentesimo vigesimo septimo ur-  
 bem occupantes eundem Cardinalem  
 abstraxerunt unacum ceteris obsidibus,  
 qui crudelem ac vere barbarum in mo-  
 dum habebantur, tandemque propudio-  
 se ad aciem campi Floræ rapiebantur,  
 ibidem tanquam flagitiosi extremo sup-  
 plicio multandi. Verum prospera ad-  
 huc illis aderat fortuna; quippe nocte  
 concubia clām suorum custodum manus  
 effugerant, ad Clementem VII. redeun-  
 tes, a quo Puccius in Hispaniam, & po-  
 stea in Gallias ad pacem inter Carolum  
 V. & Franciscum I. reconciliandam,

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.* Q mu-

**Sæcul. XVI** mutuumque bellum feliciter præpedien-  
A.C. 1544. dum ablegatus fuit, quo munere tam se-  
cundo functus est successu, ut in laboris

sui præmium ab eodem summo Pontiffi-  
ce die vigesima quinta Septembbris an-  
no Domini millesimo quingentesimo tri-  
gesimo primo purpura decoratus fuerit:  
mox vero in Ecclesiasticis beneficiis,  
nec non in majoris Pœnitentiarii mune-  
re Laurentio Puccio Patruo suo, qui  
hoc anno obiit, successit, ac denique  
expletis omnibus digni Præfulis parti-  
bus Balneoregii in Hetruria anno mil-  
lesimo quingentesimo quadragesimo  
quarto die decima quarta Octobris an-  
nos natus sexaginta mortalitatem exuit.  
Corpus ejus Romam delatum, ibidem in  
Ecclesia S. Mariæ supra Minervam pro-  
pe Clementis VII. tumulum terræ man-  
datum fuit. Reliquit Puccius quædam  
ingenii sui monumenta, ac præprimis  
quatuor Homilias non minus eruditio-  
ne, quam pietate celeberrimas, quibus  
titulum præfixit: *De Corpore & Sanguine D. N. IESU Christi, de Sacrificio, ejusdemque sacrorum Verborum declaratione.*  
Hoc opus post Cardinalis Puccii obitum  
Antonius Georgius publici juris fecit,  
illudque Cardinali de Monte nuncupa-  
vit.

§. XLVI.